



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Manvale Exercitiorvm Spiritvalivm**

**Capilla, Andrés de**

**Coloniae, 1607**

Quando sedemus. Exercit. 27

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53232](#)

*Oblatio.*

**O**fferemus Deo, ad ipsius laudem & obsequium, omnia quæ intra domum facturi sumus, & veniam prece bimur ab eo, si forsitan eum extra domum constituti offendimus.

*Quando sedemus.*

Exercit. 27.

**C**ant. 2. Sub umbra illius, quem desiderauerā sedi, & si uictus eius dulcis gutturi meo.

**A**poc. 3. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo sicut & ego vici, & sedeo cum Patre meo in throno eius.

**E**sai. 32. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & tabernaculis fiduciae, & in requie opulentia.

*Consideratio.*

**C**ontemplabimur Christum Redemptorem nostrum sedentem ad dexteram Patris, constitutumque iudicē viuorum & mortuorum: Ad hæc considerabimus Christum, ut ad gloriam & requiem qua gaudet, perueniret, per multos labores & sudores prius transiisse.

Gra

*Gratiarum actio.*

**G**ratias referemus Deo, quod nobis donet locum & oportunitatem quiescendi, blandiaturque nobis tanquam bonus Pater. Gratias præterea reddemus ei, pro illis sedibus, quas fidibus seruis suis in cœlis constituit, & afferuat.

*Confusio.*

PVdore suffundemur: considerando tempus illud quo sedimus in cathedra pestilentiae, cum in peccatis nostris firmiter consisteremus, magna cum inimicitia Dei, quasi Deus non esset, aut nos ab oculis eius nos occultare possemus.

*Petitio.*

**P**Recabimur Deum, ut nobis largiatur firmitatem & perseverantiam, in diuino seruitio: efficiatque animam nostram, maiestatis suæ thronum, in quo requiesceret gnetur.

*Oblatio.*

**O**fferemus Deo cor nostrum, ut in eotamquam in sede residat: indeque omnibus animis nostris potentijs imparet, illasque sibi obtemperantes habeat.